

(3) Forte male habuerat.

MCCCCL. Die decimoquinto mensis maii Franciscus Sfortia voti compos factus, Mediolanique Dux declaratus, cum profusas illas donationes, ac status sectiones animo voluaret, & praesertim quam de Alexandrina cum adjacentibus oppidis iacturam haberet, Marchionem Montisferrati Gullielmum ad se litteris illexit, Papiamque accedere hortatur. Is & literis invitatus, & officii gratia, ut Blancam ejusdem Ducis uxorem, quae tunc in puerperio erat, inviseret, eo venit, quod cum effecisset, & splendide exceptus fuisset, dum ad patriam remigrare vellet, Robertus Sanseverinus de Francisci Sfortiae mandato Gullielmum ipsum in arcis egressu retinuit; in qua quidem arce per annum unum integrum, & diebus decem adservatus permanfit. Iterum Francisco Sfortiae Alexandrinae urbis, & oppidorum jam d natorum dominio cum juribus carcerum cedere compellitur, ea adjecta conditione, ut annum stipendium duorum millium Ducatorum Gullielmo persolveret; qua cessione facta Franciscus Sfortia possessionem civitatis nactus trecentos equites, quingentos pedites, Conrado Duce, Francisci Sfortiae fratre Alexandriam misit, Gullielmo abeundi potestate facta. Eodem anno die tertio mensis augusti moritur Ludovicus Trotus, & Boidus quondam Baudolini, vir strenuus in officii, & Magistratibus Francisci Sfortiae Mediolani Ducis diu versatus. Eodem quoque anno Franciscus Sfortia Mediolani Dux Johannem Ferrufinum J. C., & Consiliarium pro se, suisque filiis, & haeredibus ex linea masculina tantum nascituris, investivit de loco, & castro Sexadii cum suis juribus, qui nomine suo, & descendendum suorum solemnem fidelitatem praestitit.

MCCCCLI. Cum Gullielmus Montisferrati Marchio animo voluaret, quo modo illatam vim tunc a Francisco Sfortia, ut ipse supposebat, ulcisceretur, Alphonso Aragonum Regi Neapolitano, Venetorumque militiae se addixit, a quibus equites octingentos, & pedites mille, ac tres mille septemcentum quinquaginta quinque aureos menstruos (1) suscepit. Mox Alexandriam aggreditur, obsidetque, in qua aderat Conradus memorati Francisci Sfortiae frater, qui praevidens res in maximo versari discrimine, Ducem admonuit, si vellet res suas ad optata perducere, sibi subsidium aliquod transmitteret, alioquin civitatem esse in maximo periculo, tum ob paucitatem militum ad numerum trium mille equitum, & quinque centum peditum, tum etiam quia, civitate in duas factiones divisa, parvam spem in ea repositam videbat; nam quaedam Marchionem optabat (2), quaedam vero Sfortiam Ducem. Ad quem idem Franciscus Sfortia respondens in mandatis dedit ipsi Conrado, si non posset civitatem tueri, illam Gallis relinqueret: moxque Johannem a Nuce cum mille equitibus Brixia Alexandriam ire jubet trium dierum itinere. Per hoc tempus Gullielmus Marchio deprædatur Dertthonam, Pozzolumque expugnavit, ac incursione facta Ticinum usque pervenit; omnia oppida ditioris Alexandriae obtinuit, Castellatio & Cassinis exceptis, quae nihilominus obsedit. Interim Con-

radus, & Johannes Nux intra moenia se continebant. Sed cum aliquod egregium factum committere vellent, decreverunt cum Marchione belli fortunam tentare, de quo cum per exploratores admonitus fuisset Gullielmus, exercitum in campum deduxit, & sub signis esse iussit; sed cum nimis tarde Conradus ad exercitum tentandum properasset, Marchio exercitum suum reduxit, ut milites restauraret; sed superveniens Conradus, cum milites Marchionis relictis insigniis veluti feriantes reperisset, cogitur Marchio fugam foedam arripere; vix incolumis evasit, & se recepit ad Castrum-Novum. Caeterum Conradus, ejusque exercitus praeda onustus maxima, ac insigni victoria parta Alexandriam petiit. Mox Dux Petrus Pusterlam, virum insignem, ac illustrem misit, & Conrado injunxit, ut castella omnia Alexandriae provinciae recuperaret; & interim de pace reconcilianda cum Gullielmo ageret; sed cum dubia fide Johannes Nux res Francisci Sfortiae Ducis gereret, hocque ad ipsius Principis pervenisset notitiam, illum laqueo necari iussit.

(1) Mensuos MS.

(2) Ostabat MS.

MCCCCLII. Franciscus Sfortia, [& Gullielmus Marchio arbitrum Renatum Siciliae Regem de suis disceptationibus susceperunt, dixeruntque, qui Mediolanum adveniens, ex potestate sibi indulta in hunc modum censuit, ut utraque pars armis absterneret, & Gullielmus oppidum Boschi, Fregarolii, Solerii, Qadringenti, Rivi-Franconis, Rocchae Sparaverii, Petrosae, & Quatuordarum sibi potissimum haberet, ac retineret, non secus ac antea ei per Philippum Mariam Mediolani Ducem licebat; oppida Cassinarum, & Felizzani in feudum recognosceret; clientelare juramentum Francisco Sfortiae praestaret; & hic stipendium aureorum duorum mille annum Gullielmo persolveret pro recompensatione reddituum Alexandriae urbis.

MCCCCLIII. De mense octobris ingentes pluviae extiterunt, & ita diuturnae, ut omnia fere Lombardiae flumina, lacus, & rivi in immensum intumuerint, ut non extaret hominum memoria, quae recordari posset tantam inundationem vidisse, quibus effectum est, ut tertia pars egregii Pontis Fari collapsa in aquarum abyssos ceciderit. Eodem anno Renatus Angionius Siciliae Rex Alexandriam advenit, in cujus laudem Emanuel Boidus jureconsultus de collegio civitatis ornatam sane orationem habuit, & regio apparatu, magnificoque exceptus fuit.

MCCCCLVIII. Marcus ex capitaneis patria Mediolanensis Alexandriae praesulatum obtinebat. Eodem anno die vigesimo secundo mensis martii Castrum-Ferri detinebatur a Toma Blanco, & Ambrosio Lanzavecchia, idque ex conventionem quaedam inter ipsos, & rempublicam Alexandriae initam. Eodem anno die quinto mensis augusti Ecclesia s. Mariae de Gratiis ad Astilianum posita inter vineta hoc tempore fundatur, & erigitur, (1) quam cucculati (2) s. Stephani Bergolii PP. Servorum, & eremum (3) incolunt.

(1) Eripitur MS.

(2) Cumulati MS.